



## V A L E S I A E

ALTERA tabula, habet quoque ut prior montes & ualles atque quā plurimos amnes ē cacuminibus montiū in Rhodanū stilantes. Nec putes terram istam ob id quod tota montosa est & in summis iugis mōtium perpetuam habet glaciem, quam incolæ uocant Gletscher, sterilitate aut penuria aliqua laborare, ut non sentiat interim quoque largissimam manum dei, qui etiam ex lapidibus efficere potest panes, & ex durissimis petris educere nedum aquam uerum & uinum ueracissimum, quod uerissime in hac regione impleri uidemus. Nam abundat sic uitibus, arboribus, frugibus, herbis & radicibus, ut aliunde nullum inuehat com meatum, sed ipsa exteris sepe ministrat uictualia. Generat quoque gemmas, præsertim crystalum. Abundat feris, potissimum ægocerotibus & ibicibus, quos alij Capricornos & Damas uocant. Lepores fouet plurimos, ceruos autem & apros paucos. Ursos, lupos, uulpes, martes, taxos, linceos, meles, & mustelas habet immodicos, sicut & serpentes atque colubros non raros. Est in ea arborum mira proceritas, quarum quædam nec hyeme nec æstate comam & uirorem suam deponunt, ut sunt larices, pini & abietum uariæ species. Videtur præterea hæc regio domiciliū esse auium syluestrium. Nam habet copiam phasianorum, perdicum, otidum (ipsi uocant pernisi.) lagaporum (uulgo *wildhüner*) quæ æstate albicant, hyeme uero grisescunt. Habet uultures, nisos, accipitres, falcones, miluos &c. Habet & apes in plurimis locis mellificantes. Effoditur in ea ferrum, plumbum & argentum. Et ut semel dicam, habet hæc uallis omnia quæ usui humano sunt accommoda.